Augustinus sermone xxij ad fratres

Non est locus in quo orare non debeamus: quia deus ubique est: ubique nos exaudire dignatur. Orate igitur semper et in omni loco ut salvemini. Non solum unusquisque pro se / sed pro omnibus orare debemus. Nam ut ait pater ambrosius Si pro te tantum rogaveris: solum tuum meritum possidebis: sed si pro omnibus rogaveris: omnes pro te rogabunt. Oratio sancta: columna sanctarum virtutum: deitatis scala: viduarum munitus: angelorum cognata: fundamentum fidei monachorum et sanctimonialium corona: coniugatorum levator levamen. Beatus qui te amat: beatior qui te frequentat. Beatus qui te astringit: sed beatior qui in te perseverant. Beatus qui tecum lachrimas fundit: qui holocaustum sanctum deo et immaculatum offerre non dubitamus. Ite igitur orando et nolite quiescere ut digne estimemini gratia dei. hec augustinus